

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris
Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Vtru[m] habeat delectationem in suo actu? 8

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

30 QVÆST. CXXIII. ART. VII.
desistimus: quando illam propter quam solam istas
amaimus, non amamus. Sed fortitudo est quædam
virtus. Ergo a&us fortitudinis non est ad ipsam fortis
tudinem, sed ad beatitudinem referendus.

¶ 3 Præterea, August. * dicit in libro de moribus
Ecclesiæ, quod fortitudo est amor omnia propter
Deum facile perferens. Deus autem non est ipse ha-
bitus fortitudinis, sed aliquid melius: sicut oportet fi-
nem meliorem esse his quæ sunt ad finem. Non ergo

fortis agit propter bonum proprij habitus.
S E D contra est, quod Philofophus * dicit in
3. Ethicorum, quod fortis fortitudo est bonum. Talis
autem est finis.

R E S P O N D E O dicendum, quod duplex est
finis, scilicet proximus, & ultimus. Finis autem
proximus vniuersusque agentis est, ut similitudinem
sua formæ in alterum inducat: sicut finis ignis
calcamenti est, ut inducat similitudinem sui calo-
ris in paciente. Et finis ædificatoris est, ut inducat
similitudinem suæ artis in materia. Quodcumque
autem bonum ex hoc sequitur, si sit intentum,
potest dici finis remotus agentis. Sicut autem in fa-
cilibus materia exterior disponitur per artem:
ita etiam in agilibus, per prudentiam disponuntur
a&us humani. Sic ergo dicendum est, quod fortis sic
proximum finem intendit, ut similitudinem sui habi-
tus exprimat in actu; intendit enim agere secundum
conuenientiam sui habitus. Finis autem remotus est
beatitudo, vel Deus.

Et per hoc patet responsio ad obiecta. Nam prima
ratio procedebat, ac si ipsa essentia habitus esset finis,
non autem similitudo eius in actu, ut dictum* est. Alia
vero duo procedunt de fine ultimo.

A R T I C . V I I I .

¶ 4 *Vtrum fortis delectetur in suo actu?*
A V octauum sic proceditur. Videtur, quod fortis
delectetur in suo actu. Delectatio enim est ope-
ratio connaturalis habitus non impedita, ut dicitur in
de-

decimo * Ethic. Sed operatio fortis procedit ex habi- *ex c. 6. q.*
tu qui agit in modum naturæ . Ergo fortis habet dele- *3. 10. 5.*
cationem in suo actu .

¶ 2 Præterea, Ad Gal. 5. super illud, Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, & pax: dicit * Ambro- *in lib. de*
sius, quòd opera virtutum dicuntur fructus, quia men- *parad. c.*
tem hominis sancta & sincera delectatione reficiunt . *13. innui*
Sed fortis agit opera virtutis . Ergo habet delectatio- *tur, to. 4.*
nem in suo actu .

¶ 3 Præterea, Debilis vincitur à fortiori. Sed for-
tis plus amat bonum virtutis, quām proprium corpus,
quod periculis mortis exponit . Ergo delectatio de
bono virtutis euacuat dolorem corporalem ; & ita
delectabiliter omnia operatur . *c. 9. 10. 5.*

S E D contra est , quod Philosophus * dicit in 3.
Ethic. quod fortis in suo actu nihil delectabile vide-
tur habere .

RESPONDEO dicendum , quòd sicut supra dictum *1. 2. q. 3. 1*
est, cū de passionibus ageretur, duplex est delectatio: *a. 3. 4. 6.*
vna quidē corporalis, quæ consequitur tactū corpora- *5.*
lē: alia autem animalis, quæ conseq̄uitur apprehenſio-
nē animæ: & hæc proprie conseq̄uitur opera virtutum,
quia in eis consideratur bonū rationis. Principalis ve-
rō actus fortitudinis est sustinere aliqua tristia secundū
apprehensionem animæ : puta, quod homo amittat
corporalē vitam, quā virtuosus amat, non solum in quā-
tum est quoddā bonum naturale, sed etiā in quantū ne-
cessaria est ad opera virtutū, & quæ ad ea pertinēt; &
iterū sustinere aliqua dolorosa secundū tactū corporis,
puta, vulnera vel flagella . Et ideo fortis ex vna parte
habet vnde delectetur , scilicet secundum delectatio-
nem animalem, scilicet de ipso actu virtutis, & de fine
eius: ex alia verō parte habet vnde doleat: & animali-
ter, dum considerat amissionem propriæ vite : & cor-
poralijer. Vnde legitur 2. Machab. 6. quòd Eleazarus
dixit, Diros corporis sustineo dolores: secundum ani-
mam verō propter timorem tuum libenter hæc patior.
Sensibilis autem dolor corporis facit non sentiri ani-
malem

malem delectationem virtutis, nisi forte propter abundantem Dei gratiam, quæ fortius eleuat animam ad diuinam in quibus delectatur, quam à corporalibus pœnis afficiatur: sicut beatus Tiburtius cum super carnes incensos nudis plantis incederet, dixit, quod videbatur sibi super roseos flores ambulare. Facit tamē virtus fortitudinis, ut ratio non absorbeatur à corporalibus doloribus. Tristitia autem animalem superat delectatio virtutis, in quantum homo præfert bonum virtutis corporali vita & quibuscumque ad eam pertinentibus. Et ideo Philosophus dicit in tertio * Ethicorum, quod à fortis non requiritur, ut delectetur, quasi delectationem sentiens; sed sufficit quod non tristetur.

*li. 2. c. 3.
in primis.
¶ lib. 3.
ex 1.7. ¶
9. 10. 5.*

Ad primum ergo dicendum, quod vehementia actus vel passionis unius potentiae impedit aliam potentiam in suo actu. Et ideo per dolorem sensus impeditur mens fortis, ne in propria operatione delectationem sentiat.

*c. 9. non
pro. ul. a
fin. to 5.*

Ad secundum dicendum, quod opera virtutum sunt delectabilia, præcipue propter finem. Possunt autem ex sui natura esse tristia. Et præcipue hoc contingit in fortitudine. Vnde Philosophus dicit * in 3. Ethicorum, quod non in omnibus virtutibus operari delectabiliter existit, præterquam in quantum finem attingit.

Ad tertium dicendum, quod tristitia animalis vincitur in fortis à delectatione virtutis. Sed quia dolor corporalis est sensibilior, & apprehensio sensitiva magis est homini in manifesto: inde est quod à magnitudine corporalis doloris quasi evaneat delectatio spiritualis, quæ est de fine virtutis.

A R T I C. IX.

*625
*li. 2. de
inuen. in
fo. 3. ante
fin lib.*

Vtrum fortitudo maximè consistat in repentinis?

AD nonum sic proceditur. Videtur, quod fortitudo non maximè consistat in repentinis. Illud enim videtur esse in repentinis, quod ex inopinato prouenit. **Sed** Tullius * dicit in sua rhetorica, quod fortitudo

est